

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE V.
ARGVMENTVM.

Mista est ex negotiabilibus, moralibusque sententiis: sed, si causa, cur scripta sit, animaduertatur; negotialis est. interdum autem negotii narrationem antecedit, saepe sequitur officii significatio: quod in his ad Lentulum epistolis perspicuum est. Scribit de C. Catonis lege promulgata, de statu regiae causae, de suo, Seliciiue consilio.

EXPLANATIO.

Afficior summo dolore] Non enim tam laetor officio meo, quam angor incommodo rerum tuarum.

In tua dignitate] De qua agitur in regia causa.

In mea salute] Cum ab amicis proditus in exsilium abii.

Nos cum] Morali parte, quam breuitas decet, absoluta, negotialem aggreditur.

Exorta est] Praeter expectationem: quia Cato et Caninius negaverant, se ullam legem ante comitia esse laturos.

Catonis] Quem Lentulus acerbissimum habuit ab initio tribunatus, turbulentum adolescentem, ut ait Fenestella, et audacem, nec imparatum ad dicendum. Cicero autem lib. I. ad Q. Fr. epist. 2. *Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato, vix viuis effugit.*

Promulgatio] Ut Lentulus e Cilia reuocaretur. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Cato legem promulgauit de imperio Lentulo abrogando. Vestitum filius mutauit.* Promulgari leges solitae sunt per trinas nundinas antequam ferrentur: ut posset eas per otium, qui vellet, examinare; ne repente, quo die lex ferretur, de incognita re suffragium

populus ferret. de quo diximus in libro de Legibus.

A minore cura ad summum timorem] Multo enim leuius est, curare, ut aliquid accedat ad dignitatem, quod ex regia causa sperabatur; quam timere, ne tota dignitas amittatur, quod ex lege Catonis impendebat.

Perfidiam] Si enim in officio manserint amici, qui suam nobis operam ad impediendas tribunorum plebis rogationes polliciti sunt, nihil timemus. Epist. 2. *Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo, aut saluis auspiciis, aut saluis legibus, aut denique sine vi possit.* Idem epist. 4.

Quoquo modo] Difficili enim loco res est.

Profecto] Coniunguntur, quidem profecto, quidem certe, cum id, quod cupimus, imminuitur: ut ego te ista molestia si non liberabo, levabo quidem certe. et hic: ex promulgata lege nihil magis, quam perfidiam timemus: Catoni quidem interim, quamquam inclinata re, profecto resistimus: enitimur enim, quantum in nobis est, ne lex a Catone promulgata perferatur.

De Alexandrina re, causaque regia] In quo res, et causa differant, satis ostendimus epist. 1. In-

fra

fra quoque coniunguntur epist. 7. *In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillime optimeque perspicies.*

Eripiatur] Vt Pompeius regem reducat. sequitur enim paullo post: *Ad quem prope iam delatum existimatur.* Ante aliquot annos, *caussa regia*, sustuli, vt glossema.

Deferatur] Ne quis omnino regem reducat: quod et Seruilio placebat, vt epist. I. et postea decretum est a senatu, vt epist. 7.

Quiddam tertium] Quid hoc sit, plane non exponit: sed videtur significare: si Lentulus regem non reducat, neque sibi, neque Selicio displicere, vt a quouis alio potius, quam a Pompeio, reducat. Minus autem est, non displicere, quam placere: non enim omnino placet, quod non displicet. placebat Ciceroni, vt Lentulus regem reduceret; id si obtineri non posset, a quouis alio potius, quam a Pompeio, reduci non displicebat.

Iacere] A nemine restitui. ne causa regia deferatur, proxime dixit: infra coniungit vtrumque verbum, *desertum se, atque abiectum fore.*

Nobis repugnantis] Primum pugnabimus, vt ad te deferatur: sin id non poterit, ne deferatur ad Pompeium, repugnabimus.

Delatum] Ex Volcatii sententia, studio maxime duorum tribunorum, Lupi, et Caninii. epist. I. 2.

Repulsi] Pertinet ad illud tertium, quod sibi non displicere dixit: rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulsam tulisse videtur; sin, vtroque reiecto, alia quam ratione reduceretur, iacturam existimationis suae Lentulus in eo nullam faceret.

Tuae sapientiae] Hoc eo spectat, ne Lentulus admodum speret de rege reducendo. Est autem ea gratior consolatio, quae cum laude coniungitur. itaque dat ei sapientiam et fortitudinem: quarum altera iudicat, quanti quidque faciendum sit; altera, quidquid accadat aduersi, facile fert, atque contemnit. propterea, cum lib. 4. epist. 13. Nigidium quoque consolaretur, admonet eum vtriusque virtutis.

Quid sit, inquit, *forti, et sapienti homine dignum, tu videbis.* Eandem Lentulo tribuit animi magnitudinem epist. 7. cum ait: *Magnitudinem animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperque amaui, ne umquam inflectas cuiusquam iniuria.* Et epist. 9. *Novi animum tuum, cum magnum, et excelsum, tum etiam apertum, et simplicem.* Et in lib. de clar. orat. c. 77. *Tantus (in Lentulo) animi splendor, et tanta magnitudo, vt sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret.* Vtrumque simul nominavit lib. 6. epist. II. *Est tuae sapientiae, magnitudinisque animi, quid amiseris, obliuisci; quid recuperaris, cogitare.*

Amplitudinem et dignitatem tuam] Modo alteram pro altera ponit, vt epist. 4. *Te et senatus, et populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum:* modo coniungit vtramque, quasi differant, vt hic, et epist. 9. in extremo: *Illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem pertinere.* Videtur autem dignitas amplitudinis esse pars: ideo, qui amplitudinem vel solam nominat, dignitatem non excludit.

D 2

Rebus

Rebus gestis] In consulatu, cum me contra legem Clodiam, patriae compotem fecisti. epist. 7. *Magna est memoria consulatus tui.* et epist. 9. *Illius actionis amplitudinem, et gloriam.* Vel *rebus gestis*, quas in provincia gerēs, vt haec adhortatio potius, quam laudatio sit; quod iis verbis confirmatur epist. 7. *Haec profecto vides, quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquantum ex provincia, atque ex imperio laudis accesserit.*

Gravitate] Est enim leuitatis, ea curare, quae non veram solidamque laudem, sed fucata inanemque pariant. tacite, quidquid eueniat in regia caussa, non esse Lentulo vehementer laborandum significat.

Positam existimare] Non in reductione regis.

Fortuna] Non enim, quae habes a te ipso, virtutem, et gravitatem tibi quisquam detrahet: cetera si amiseris, non tibi, sed iis, quorum amittentur culpa, vitio dabitur. Videtur in fortunae bonis numerare speciem quandam dignitatis, non a virtute, et gravitate, sed ab honoribus qui deferuntur, id est, a populari sensu profectam. Vide quae diximus lib. 2. epist. 3.

Lugita est] Copia significatur: quo Lentulus aequiore animo ferat, si, quibus rebus abundat, de iis aliquid detrahatur.

Frādi] Culpae. lib. 5. ad Attic. epist. ult. *Fis gratia Bruti senatus consultum, vt ne ve salaminis, ne ve qui eis dedisset, fraudi esset.* Pro Murena c. 35. *Id erit eius vitrico fraudi aut crimini?*

Nullum tempus praetermittitur de tuis rebus et agendi, et cogitan-

di] Vbicumque res postulat, et agō de te, et cogito. simile illud ad Cassium lib. 12. epist. 1. *Finem nullam facio de te cogitandi.*

Prudentiorem] Nominat, quae tria maxime requiruntur in amico, consilium, fidem, benevolentiam.

Hic quae agantur] Disiungendum a superioribus, vt sit alia epistola; quod ex ipso cognoscitur argumento: dixit enim in superiore, prope delatum esse regem ad Pompeium: in hac, Alexandrinam causam ab eo depositam, significat. praeterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat epistolam: *tu fac animo forti, magnoque sis*: cum eum iam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco sit: *ruae sapientiae, magnitudinisque animi est?* Et omnino cum tota res alia videtur: tum agnoscitur epistolae principium in his verbis: *Hic quae agantur, quaeque acta sint, ea te, etc.*

Quae autem posita sunt in coniectura] Quae coniectura licet assequi: quae possunt e signis diuinari. *Coniectura*, et *diuinitio*, non idem sunt. nam *coniectura* ducitur e signis, *diuinitio* saepe signa non sequitur. ita fit, vt omnis coniectura diuinitio sit, non contra.

Quarumque mihi videntur fore] Transsit a generali sententia ad particularem. nam generale illud est, *quae posita sunt in coniectura*: particulare hoc, *quae mihi videntur fore.*

Apud populum] Populus de rebus iudicabat, accusante tribuno plebis, aut aedili. Aedilis autem hoc anno P. Clodius Milonem de vi ad populum accusauit. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. et in orat. pro Sext. c. 44.

Conuicio] Cum enim Clodius de loco superiore (vt ait Plutarchus) interro-

interrogaret suos in concione stantes, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operae, Pompeius; quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad conuicium impetus accessit: nam in orat. pro Milone c. 15. *Quid? inquit, privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit?* Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Hora fere nona, quasi signo dato, Clodiani nostros conspuere coeperunt. Exarsit dolor. urgere illi, ut loco nos mouerent.*

Iactatus est] Exagitatus, vehementer percussus.

Catone] C. Catone tribuno plebis, de quo supra.

Vehementer esse perturbatus] Non tam, quod asperere et acerbere accusatus esset a Catone, quam quod senatorum omnium magno silentio, hac de re sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. *Eo die Cato est vehementer in Pompeium inuectus, et eum oratione perpetua, tamquam reum, accusauit. De me multa, me inuito, cum mea summa laude, dixit. Cum illius in me perfidiam increparet, auditus est magno silentio maleuolorum.* Prudentiam Ciceronis licet in hoc animaduertere, quod, ad Lentulum cum scribit, se laudatum a Catone, non dicit: ne animum eius offenderet. non enim aequo animo Lentulus ferre posset, ab eo laudatum esse Ciceronem in senatu, qui rogationem de imperio sibi abrogando promulgauerat. in ea vero ad fratrem epistola, libere, ut res erat, ita scribit: quamquam addit, *me inuito*: ne videretur eius hominis oratione delectari, qui suam

laudem Pompeii cum infamia coniungeret. Alienatum a Pompeio senatum Plutarchus ostendit, quia Ciceronem superiore anno, a Clodio tribuno plebis oppugnatum, deseruerat: propterea, cum C. Cato perfidiam eius in Ciceronem increparet, magno omnium silentio auditus est.

Nihil enim tibi detraxit senatus] Dederat tibi, ut regem reduceres: id postea non detraxit, sed exercitum: quem non tam tibi, quam omnino omnibus adeptum existimare debes. Duo senatus consulta facta esse iam dixi, vnum ipso Lentulo consule referente, ut rex a Lentulo reduceretur; alterum, referente Marcellino consule, ne cum exercitu reduceretur.

Per eandem religionem] Per quam tibi detraxit exercitum. itaque nihil tibi proprie est adeptum, sed quod habere prorsus nemo potest.

Id, quod cogitabat] Faciliorem enim sibi reditum duce Pompeio, quam quouis alio, pro summa eius apud omnes gentes auctoritate, rerumque gestarum gloria, sperare poterat.

Proficiscatur ad te] Per suos creditores, et per eos, quorum sibi voluntatem largitione adiunxit, agat, operamque det, ut abs te educatur.

Nosti hominis tarditatem, et taciturnitatem] Simulationem Pompeii, et consuetudinem in occultanda voluntate, modeste describit. non enim videri vult eius ingenium et mores carpere, quem optime de se meritum negare non poterat. praeterea fungitur officio boni viri, cum inter amicissimos suos, Lentulum,